

# CLIVENSIS ET IULIACENSIS DVCATVS.



Liua à cognomini in ea oppido nomen sortitum est, de eo sic refert Munsterus. Eo tempore quo Cæsar Iustinianus rerum est potitus, anno scilicet Christi 711. fuit in regione Cluensi, vnica domini illius terræ filia, Beatrix nomine, quæ amplissimam habuit ditionem, quin & Castellum Neomagus, cum attinentijs eius, erat illius. Extruxit quoque Castellum, & appellauit nomen eius Cleuam. Cui nomini rationem dedisse crediderim, cliuum seu collem, in quo situm est castrum. Vocât enim inferiores Germani collem vernacula sua lingua, *ein Cleff*. Huius verò nominis ratione aliam affert Robertus Cœnalis, de re Gallica lib. 2. periochiæ tertia. Aiunt (inquit) eos qui hodie Cleuenses dicuntur, sic appellatos, à clauis quas gestabant Guineses iussu Rodolphi: quasi dicas Clauenses, qui clauas gestarēt, nunc verò Cleuenses, at mihi prior ratio magis probatur. Iuliacensis quoque Ducatus, ab eiusdem nominis oppido sic dicitur. Eius verò nominis occasionem nusquam reperi, meminit autem huius itinerarium Antonini. Ambo hi Ducatus coniuncti ac confines, ita vt alter in alterum longè expatietur, vni parent principi, quare coniunctim quoque de ambobus instituenda oratio est. Veteres itaque Historiographi hoc loco Mœnapios collocant, ac Gugernos, ita vt quibusdam Iuliacum quod *Gulch* incolæ vocât, à Gugernis, paululum immutato nomine, dictum videatur. Bonam quoque huius regionis partem Bruçteri habitasse creduntur. Insuper & Eburones Iuliacensis ac Leodiensis ditionum partem tenuisse, ex historijs veterum, & præsertim Casaris elucet. Pergensis præterea ac Iuliacensis Ducatuum confinia Teucteris habitata fuere: Cleuensem verò Ducatum Grinnes coluere, qua Geldriæ vicina est, vbi Rhenen oppidum ad Issulæ ripam nominis vestigium retinere videtur. Continent autem hi Ducatus etiam Bergensem Ducatum, cui à Bergo ripensi oppido nomen est, & Marcanum Comitatum, & Comitatum de Muers, cui oppidum cognomen vocabulum dedit, è regione Duesburgij, haud procul à Rheni sinistra ripa situm. Cliuensis Ducatus Metropolis est Cliuium oppidum, Rees oppidum dextram Rheni ripam obtinet, ac paulò inferius Griet, sinistram ripam tuetur, hanc ex eadem parte sequitur Griethusium, in principio agri Batauorum, iuxta Lobeccam arcem, quam cursus extremitatem seu angulum dici volunt, *loop* enim cursum inferioribus Germanis sonat, & *ech* angulum significat, ibidem Rhenus in tria exit cornua seu ostia, de quibus alibi mentionem fecimus. Griethusio in altera ripa opponitur Embrica, quam olim Asciburgium putant vocatam. In meditullio ferè regionis est Calcaria, Gennep, & Goch, ad Nerfiam fluuium sitæ sunt. Xanthum oppidum in sinistra Rheni ripa, vetustatis ac antiquitatis multum præ se fert, quod testatur tophus lapis, incolis *Duyuensteen* dictus, ingenti ibidem copia collectus. Dum enim arua aratro proscindunt agricolæ, magnos huius lapidis acervos studiosè congestos, Brabantis ingenti lucro vendunt, quo cæmentum ipsi conficiunt, cuiusmodi nusquam alibi reperiri persuasum est, *darast* vocant, eo siquidem & aquæ ductus ac canales, nonnunquam & integra penuaria subterranea, vt ab aquarum eru-

ptione tuta sint, & quicquid tandem solidum ac maximè obturatum cupiunt, collinunt: quauis enim calce indurata hæc materia solidior est. Est autem lapis is subcinericius cauernosus, ac durissimus, ex quo hic loci à Romanis aliquot insignes structuras, ædificia seu propugnacula erecta fuisse, quæ postmodum iniuria temporum vastata ac destructa sint, suspitio est, quod ibidem non nascatur, verum aliunde importatus videatur. Cæpit idem etiam nuper effodi, iuxta Neomagus, vbi nonnunquam eius partes erutæ sunt, forma quadrata quinque pedali, verum cum cauernosus sit lapis, ita vt characteres inscribi ægrè queant, iuxta reperti sunt lateres cocti, seu tegulæ, quibus Romana litera, monumeta quædam insculpta fuere, ijque vnica tantum linea recta, ad pedem montis, iuxta Meram flu. effodiuntur. vnde non obscura est coniectura fuisse ex eo extracta aut propugnacula quædam aut alia ædificia. Quin ipsa etiam arx Nouiomagensis, quam Carolus Quintus olim restaurauit semiduram, eodem lapide extracta fuit. Ad Lupiæ & Rheni confluentes Vesalia inferior sita est, in sinistra autem ripa Burichium oppidum situm est. Iuliacensis autem Ducatus vrbes sunt, Iuliacum, vulgò *Gulch*, ad Ruram flu. Et paulò inferius in dextra ripa Erkelens, cui ab Hercule nomen faciunt, item Dalem, Berchem, Sontium: in sinistra Rheni ripa Nouesium, vulgò *Nues*, vbi Erf flu. Rheno affunditur, paulòq; inferius in dextra Rheni ripa Dufeldorpium cum Dufelo amne. Flumen deinde sequuntur Keyserwenda, Ordingen, Duesburgium, Angerortum, Ruerortum. Regionis aer bonus & salubris. Ager vtcunque fertilis frumenti, pascuis lætus, Vinum verò haud gignit. Fluminibus rigatur Rheno, Ruera, Nerfa, Lupia, Angra, Dufelo, cum alijs nonnullis riuulis, ac torrentibus. Sylua Arduenna hinc inde per regionem ramos extrudit. Montibus non asperatur, vnde & Minærarum sterilis. Horum autem Ducatum Cleuensis Septentrionalior, Iuliacensis autem Meridionalior est. Terminatur verò ab Ortu quidem Ducatu Montensi, Comitatu Marcano, ac Westphalia, à Septentrione Comitatu Zutphanensi, Transsalano tractu, ac Bataua, ab Occidete Geldria, & Leodiensi tractu, à Meridie autem Colonensi & Aquisgranensi ditionibus subtenduntur. Incipit autem ab Occidente sub grad. longitud. 27. minut. 45. vbi Gennep Cliuæ oppidum est, ac desinit in Oriente sub longitud. grad. 29. vbi Woeringum Ducatus Iuliacensis oppidum est. Ab Austro verò initium sumit à grad. latitudinis 50. minut. 47. vbi Durenium oppidum est, ac in Septentrionem extenditur ad gradum latitud. 52. minut. 17. vbi Hussenum oppidum. Incipit itaque post mediū octauum climatis, quod est per mediam Mœotim, & exporrigitur vsque ad mediū decimum, quod est per Rheni ostia. Parallellus itaque eius Australis est 18. vbi dies artificialis prolixior est horarum 16 $\frac{1}{4}$ . Borealis autem est vigesimus, vbi dies prolixior est horarum 16 $\frac{3}{4}$ . longa est autem ab Ortu in Occasum milliaribus Germanicis 15 $\frac{3}{4}$ . seu Italicis 63. lata verò ex Austro in Boream Germanicis 22 $\frac{1}{2}$ . seu Italicis 90.




## VVESTPHALIAE TABVLA.

**V**Estam deã Germanorũ nonnullis cul-  
tam assenerãt quidam, atque hinc VVest-  
phalos dictos arbitrantur, tanquam Ve-  
staliõs dicas: malunt tamen aliqui à vento occi-  
dentali sic dictos credere, qui enim ultra Visur-  
gim fluvium orientalem plagam occupãt, Ostuali  
Sagones cognominãtur, ab Ost-vento orientali, et Va-  
le, quod Saxonibus sua lingua pullũ equinũ signi-  
ficat. Hunc enim in militaribus signis habuerunt.  
atq; id nominis abolevit in orientibus, & genera-  
lis illa Saxoniam appellatio permãsit. Sic VVestpha-  
li, qui citra Visurgim versus occasum habitãt, ab  
VVest occiduo vento, nũcupantur. Volũt autẽ nõ-  
nulli à campo, id est veldt potius quã Valer dici  
VVestphalos, aiunt enim agrũ Albi Visurgis, in-  
teriectũ Ost-veldt eiusq; incolãs Ost-veldingos di-  
ci, agrum autẽ Visurgi Rhenoq; flu. interceptum  
VVestveldt, cultores autem eius VVestveldingos  
appellari. Saxonum olim gens, quã cum ob sui va-  
stilitatem variosq; cultores in plures prouincias  
scinderetur, huic ob dictas iam causas id nominis  
contigit. Horum sedes Dulgibinos olim tenuisse  
coniiciunt. Hinc Brueteros, qui ab Charmanis  
Angruarijsq; eiecti, hinc secedentes in Sarmã-  
tiã cõcessere, & ad Balthẽũ mare domitis aut ex-  
pulsis Vlmigeris cõsedere. Hodierni cultores robu-  
sti proceriq; corporis, animi magni, bellicosi ac inge-  
niosi perhibentur. Prouerbio dici solet VVestphalis  
plures astutos, subdolos, versipellesq; quã stultos  
gigni. Adulterorũ ac spurcitia omnis sauera olim  
censura hãc erat. Gentiles erãt ad annum Christi  
700. eos primus Carolus Magnus ad fidem Chri-  
stianã compulit, quã cum multotiens mu-  
tarent, negarentq; ac ad veterem idololatriã  
recurrerent, ad cohibendos eorum tumultus, eosq;  
in fide seruandos, clandestini Iudices ab Impera-  
tore constituti sunt, quos Scabinos & VVetende,  
item Scheffen & Veymer ipsi sua lingua voca-  
tant: quẽs ius potestasq; erat fœderum ruptores  
ac fidei christiana neglectores, reliquosq; sceler-  
atos, factiosos criminososq; indicta causa ubi-  
cunq; repertos, pro libito necare. quã potestate  
deinceps & in reliqua Germania sibi usurpare  
voluere. Verũ hi cum tanto munere ac impe-

rio abuterentur, ac libidinum scelerumq; suo-  
rum potius quã Iustitia Pietatisq; patrocinũ  
efficerent, hic tandem iudicij modus sublatus est.  
Parent hi Coloniensem Episcopo, suisq; nobili-  
bus, quorum fere mancipia sunt, ac iugum duris-  
simum sufferunt. Regio est ampla, spatiosa & ca-  
pax, compluribus distincta dominijs. Ducatus cõti-  
nuit olim VVestphaliẽsem, VVesaliẽsem et Angriẽ-  
sem, Angruãriorũ vestigiũ. Huius sibi principa-  
tum Colonienfis Antistes vendicat, Saxonumq;  
principes Angria se duces esse dicunt. Huius no-  
minis urbs ad Visurgim sita. Resident in hac  
prouincia quatuor Episcopi. Premẽsis in ora iux-  
ta Saxoniam ad Visurgim. Myndensis ad eun-  
dem amnem versus Thoringiam. Padebornensis  
Tenderium Ptolomæo ad Lupiam in Hestia con-  
finibus. Monasteriensis in mediterraneis ad Ama-  
sum flu. Saxonum portio olim fuerat VVestphã-  
lia. Verũ cum eius incolæ unã cum Lõgobardis  
Italiã inuasissent, ac tandem in patriã sedes-  
q; suas reuersi essent, VVest-vale dici cõeperũt, ac  
in umbilico suã regionis urbem adificantes, eã  
Mediolanũ vocarunt, vocabulo mutuato à co-  
gnomini Italia urbe: assenerant tamen quidam  
oppidum ibidem extructum aliquando Mymy-  
grode vocatum: quo loco Carolus Magnus Epis-  
copatum constituit, ac deinceps monasterium adi-  
ficatum est, à quo urbs nomen deinde mutuata  
est, suo omisso. Hac superioribus annis Anabapti-  
starum factione ingentem cladẽ perpeffa est. cum  
enim eius sectæ homines undequaque ad eã cõ-  
fluerent, tandem sarctorem quendam obscuris  
parentibus (Johannem à Leyden) Hollandiã op-  
pido natum. Liberali tamen & forma & statu-  
ra preditum, temerarium, audacem, nõ infimi in-  
genij, disertumq; regem fecere, hominem sceler-  
atum eiq; muneri (si displicet) aptissimũ, mirũ  
impostorem, ac enthusiasmos somniantem: is se  
regem Israëlis nominari, urbemq; Monasteri-  
ensem nouam Hierusalem appellari voluit. Cũ-  
q; sibi persuaderet uniuersum orbem exercitu  
armisq; suis peruadendum, post grauissimã  
decimestrem obsidionem, quã eõ fame deuenerãt  
ut & corio & pelliceis lixatis vescerentur, tan-






REITERATA EPISCO-  
PATVS MONASTERIENSIS  
GEOGRAPHICA DESCRIPTIO  
CVI ADDITA EST ET OSNA-  
BRVGENSIS PER GODEFRIDV MAS-  
CHOP EMBRICEM COSMOGRAP.

Godefridus Maschop Em-  
bricensis ad lectorem

Westphalia teste Plinio, Tacito ac Strabone ab oriente Visurgis,  
ab occidente Rheno, a septentrione Phyrria, a meridie Hestia ter-  
minatur. cuius longitudo 29. latitudo 33 graduum est. Hanc  
Carolus magnus A. a mundi exordio 4766 salutiferi partus 185.  
regni sui 37 ad christianismum redigit. Huius ego scriptus vite  
felicitate maximis laboribus partem unam in lucem traduxi:  
in qua non solum civitates et pagi verum etiam caenobia, nobilium  
structura, flumina, montes, et sylvae, ita ad amissim disponuntur  
ut in ea nihil omisissim nihil transpositum sit. Quapropter domi in otio  
manes, magnos labores itinerum, pericula vitans, pietate fidei  
praescripta terre habitudinem spectare poteris: et obiter (ac mihi  
plus absens quam praesens contemplantando proficies. Hanc itaque  
humanissime lector boni consule capere, donec et altera parte  
quam praesentibus habemus nactus fueris. Vale. A. 1569.



Miliaria parva  
Miliaria mediocria  
Miliaria magna.



Joannes à Duetum  
Lucas à Duetum fecerunt.



WESTPHALIAE TABULA

dem urbe expugnata anno 1534. ipso festo die  
 Johannis Baptista captus ipse cum pseudophrotis  
 suis, cum reliqui magna ad decem dies cade con-  
 sumerentur, ipsi concatenati oppidatim circun-  
 ducti, ludibrio omnibus expositi, anno 1536. ad eā-  
 dem urbem reducti, ignitis forcipibus lacerati,  
 tribusq; tandem caueis ferreis inclusi, extra D.  
 Lamberti turrim suspensi, fameq; necati sunt.  
 Ita mox misereq; infelix hoc regnum interijt.  
 Comitatus nobiliumq; sedes penè infinita, quarū  
 præcipue numerantur à Septentrionis parte initio  
 sumpto Busactorum maiorum sedes Oldenbur-  
 gensis comitatus ad Hontam fluuium. Hinc ver-  
 sus ortum sequuntur ad eundem amnem & la-  
 cum Dum, ac Disholtensis, Ridborchensis, Ra-  
 uenspergensis, Lupiensis, Schouu-venburgensis,  
 in Angriensi ducatu. In meridie habet comitatū  
 Marcania Bructerorū antiquas sedes, & Reck-  
 lichusensē diocesim. In occidentē habet Bēthemen-  
 sem comitatum, Busactorum minorum locus, ac  
 in meditullio Teckenburgenssem comitatū, Osua-  
 brugenssem conuentum seu Canonicatum iux-  
 ta Has flu. ac ibidem Lingense territorium. Aër  
 est durus quidem frigidusq;, ac salubris. Regio  
 pluribus urbibus exornata. ager ipse pecorum pas-  
 cuis, quàm aruis latior, vini expers: nisi quantū  
 per Rhenu flu. aduehitur, quod tamē carum, nec  
 nisi diuitibus, idq; perrarò bibitur. Cibus panis ni-  
 ger, caseusq;. Caro quoque tā bouilla, quàm suil-  
 la, & quidem plurima, eaq; plerunque fumiga-  
 ta. Verum cum ager plerisque locis minus gratus  
 sit cultori, fit ut mechanicis ac mercatura se de-  
 dant accola. merces sunt lapides, statuaria, ac a-  
 edificijs extruendis aptissimi, molares etiam ac co-  
 tes. Salis ac metallorum minaris minimè destitui-  
 tur regio. Pecuaria enixè student, unde & dome-  
 sticorum animalū numerosissimos greges alunt:  
 ferarum etiam affatim habent. Syluas habent  
 sufficētes, cuiusmodi sunt: Dat henster holdt, &  
 de Auert, & Holt marckt. Tentoburgiēnsis sal-

tus, ad Lippia ortum. Montes collesq; plurimi:  
 utpote, Baemberg, et alij: fluminibus paludibusq;  
 multis irrigua. Visurgi, Amisia, Glaa, Neth,  
 Hasia, Honta, Sala, Hala, Lippia, Stouera, Du-  
 plici, Aa, Vidro, ad Amisiā pertinent, Deu-  
 uera, Dexta, Glaa, Berckel, quorum fontes plerique hīc  
 reperiuntur. Amisia autem flu. ex Hessicis mon-  
 tibus, Abnoaos vocat Ptolomæus, ortus, West-  
 phaliam perlabitur, ac in Frisijs iuxta Embden  
 Oceano infunditur. Videns de uecht vulgò, ijs-  
 dem montibus ortus, recto cursu per Westphalos  
 ductus, in Frisiorum quoque confinibus mari au-  
 strali miscetur. Viadrus autem, quem Weserā  
 vocant, in Hessis etiam exortus, ex Maliboco  
 monte, eius caput & fons, Verra dicitur. Hanc  
 regionem, cum Saxonia limitibus inclusa sit, ab  
 ortu claudit, ab occidente Rheno fluuiio, à Septen-  
 trione Frisia, Hollandia, Traiectensi ac Transsa-  
 lano tractu, à meridie, Hassia montibus excipitur,  
 quāq; in occidentem maximè tendit circa Bree-  
 fort 28. grad. & 19. minuta longitudinis attingit,  
 ac in Orientem extenditur, Schouu-venburgū  
 usque sub 31. gradib. & 19. minutis longitudinis,  
 In meridem autem maximè tendit propz Gosicā  
 vulgò Geysack uti 51. grad. & 40. minuta lati-  
 tudinis habet, ac ad Nychusium usque oppidum  
 ad Amasium flu. situm, protenditur, sub 53. grad.  
 & 43. minuta latitudinis. Incipit itaque à princi-  
 pio 9. climatis, quod est per Agrippinā Coloniam,  
 ac desinit in fine eiusdem, sub principium 10. quod  
 est per Tanais ostia. Eiusq; parallelus australis-  
 simus est 19. ac dies ibidem prolixior horarum 16.  
 Borealisissimus autem ferè 21. ubi dies prolixior  
 horarum est 17. ita ut ab Occidente in Orientem,  
 quam longitudinem vocamus, deprehenda-  
 tur cōtinere milliaria Germanica 45. seu  
 Italica 180. ab Austro autē in Boream  
 qua latitudo est Germanica 30.  
 Italica verò 123.



# LUTZENBURGENSIS DUCATUS

**L**utsemburgij Ducatus, à cognomini ac digniori, in ipso, vrbe sibi nomen assumpsit, ea ad Alsatium flu. sita est, ac ex Comitatu, quo olim honore dignitatēque florebat, in Ducatum tandem euecta est. Eum tractum antiquiores sub Treuirensibus cōplexi sunt, qui in eo nobilissimi, antiquissimi, dignissimi que habiti sunt, generaliori vocabulo Mediomatici dicti fuere: hoc tamen de Metensibus ac eorum vicinijs intellectum volūt, aut potius Argentoratensibus, quamuis & id manifestum & in confesso sit omnibus, Mediomaticos non iisdem, quibus olim sedibus hærere, & creduntur Metenses eorum reliquæ, corrupto ac deprauato vocabulo. Breuitatis enim studio Metenses pro medenses appellantur, quod à mediomaticis deductum videtur, primis saltem syllabis seruatis. Verùm de hoc eodem tractu sic refert Petrus Diuæus, Leucorum gentem (inquit) iuxta Treuiros, mediomatices, ac Lingonas habitasse, indubitatum est, oppida eorum Tullus, ac Nasium, Ptolomæo celebrata, nomen seruant, Toul & Nansij. Vernaculè crediderim appellatos, *dit Lutzey*, & latè imperasse, vt ab ijs Lutzenburgij celebris oppidi nomen ortum sit, quasi *der Lutzey burg*. Propinquos Leucis, Clabos, eorumque oppidum Viridunum mediæ ætatis Chronographi faciūt: cuius etiam liber Prouinciarū meminit. Verùm qui nā hi Clabi fuerint, aut vnde venerint, nemo prodit. Frequens autem est Romanorum scriptoribus Chabionum nomen, mendosum fortasse, ac pro Clabis suppositum: quorum fortè reliquias à se deuictas Diocletianus in Galliam traduxerit, ac proximè Leucos collocarit. Treuirorum verò olim erat ditionis quicquid hodie ferè à maguntiaci per Treuirensis Episcopi ditionem & Mosellæ mōtes, seu Obrincanum tractum, quem vernacula lingua *Hondtgruckey*, id est, canis tergū, seu Hunnorū recessum vocant, (quanquam hæc vox ex antiquo potius Obrincæ vocabulo facta, ac deprauata videatur, vt pro Obrinca *Hobbvinsckey*, ac tandem *Hondtgruckey*, dixerit imperitum vulgus, ad Arduennam sylvam extenditur. Eorum ciuitates erant Maguntiacum, Bingium, Legio Traiana, Ficelia, Badobriga, Confluentes, Rigodulum, Marcodurum, Antiniacū, Nouiomagum, Matricorum, siue Dinodurū, Francis, Theodonis villæ, seu Theon-uillæ appellata. In illis quoque Ripuaria est, terra inter Mosellā seu Obrincam, Rhenum, atque Mosam fluuios, posita. Est & Eyflia, Arduenna sylua septa, qui totus tractus olim etiā Reges suos habuit, ac VVesterrychia, deinceps verò Neustria dicebatur. Hodie etiamnum Vastum regnum appellatur. Verùm separantur nunc hæc dominia, ac mediomatici quidem seu metenses Lotharingiæ nomine, comprehenduntur, vulgò *Lorain*, de qua alibi monuimus. Treuirorum verò, & vrbs, & regio, suo paret Archipræsuli, Electori septemuiro. Hi verò nostri Leuci & Lutzenburgenses, Austriæ Archiducibus subsunt, is nūc est Philippus

Hispaniarum Rex. Lazius Mosellanum Ducatū vocat. Incolæ nobilium penè mancipia sunt. Linguis vtuntur Gallica & Teutonica, corruptis. Distinguitur Regio in septē Comitatus, ij sunt: La Roche, Durbi, Salme, Chini, Vandalen seu Vianden, S. Ioan. Manderfchet. Baronatus in hoc Ducatu propemodum innumeri sunt, ac dominia infinita. Neque enim vniuersa Belgica Prouinciā habet, quæ nobilibus frequentior sit quàm hæc, quorum tanta est libertas, & in subditos ius, vt vel regulis comparentur. Ciuitates habent muris cinctas, in vniuersum viginti, è quibus principalior toti regioni nomen suum communicat. Ea est Luxemburgum, hanc Alisuntius flu. quod & nomen ipsi largitus creditur, interluit, partem vrbs superiorem, & montanam ab inferiori & plana dirimens. Putatur hæc esse, quam Ptolomæus Augustam Romanorum dixit. Vrbs est ampla ac capax, ædificia domusque vtcunque splendida, verùm belli iniurijs, variè afflictæ. Reliquæ vrbes sunt Arlon, Rodemarck, Theon-uillæ, Grauemacre, Coningmackre, Dickrich, Vireton, Esteruerck, Vandalen, Bastonac, mommedi, Neufchasteau, seu Nouū castrum, quod Paulus AEmilius munitum oppidum appellat. Danvillers, maruil, la Roche in Arduenna sylua, Durbi, Sanctus Vitus, marche, & Salme. Habet præter hæc etiam alia nonnulla oppida, quorū tamen mœnia, crebris bellorum incurfionibus, diruta iacent. Vicos pagosque ad 169. continet, eorumque nonnullos satis amplos & opulentos. Castra ac arces permultæ sunt. Septem verò in eo Ducatu memorantur loca esse, quibus Planetarum septē sunt nomina indita, quibus dum Pagani & Ethnici essent incolæ, ibidem sacra fiebant. Cuiusmodi videntur esse Arlon, tanquam Aram Lunæ dicas, cui eo loco sacrificabatur, Soloeure, castrū montanum, à Sole nominatum creditur. Marche Martis nomen referre videtur. Reliqua coniectura vix assequi licet. Treuirorum verò vrbs quæ huic Ducatui versus Orientem adiacet, omnium totius Germaniæ vrbiū, antiquissima est. Olim Gallia Belgicæ caput, à Trebeta, Semiramidis matris incastum, libidinemque fugiente ex Assyria, ac post vagos, variosque itinerum errores, ad hanc amœnissimam vallem delato, condita temporibus Abraham, annis nimirum ante natum Saluatorem 1947. multis scilicet ante Romam conditam seculis. Quàm verò hæc olim floruerit opibus, potentia, reliquisque ornamentis, non obscure ostendunt ruinae superbissimorum ædificiorum. Videtur enim ibi palatium stupendi operis, instar Babylonici muri ex latere cocto factum, tantæ firmitatis etiamnum hodie manens, vt nulla arte frangi queat. Antiquissima insuper totius Germaniæ vniuersitate Treuirensium ciuitas insignitur. Lutzenburgensis Regio bona, benignaque ac fertilis est, cuius etiam loca nonnulla vineta ferunt. Vina verò ignobiliora sunt. Fluminibus regio omnis rigatur plurimis. Eorum primum nobilissimumque est Mosella, seu Ob-